



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**


**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

Benedictvs Conversinvs. Electus Britouoriensis, Vicecamerarius almæ  
Vrbis, eiusque districtus Generalis Gubernator.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

auerfus ab iis animus, & in partes propensus aduersariorum, qui cum essent in aula gratiosi persuaserant, promissionis specie, bona verba Ignatio daret quæ negare non poterat; facto negaret quod videri volens promittere, præstare tamen nullo modo veller. Viro igitur sancto bilinguis huius idiomatis ignaro, significat, mentem hanc esse, Cardinalis legati, vt pro confecta lis, absolutaque haberetur, iuberenturque partes de cætero silere. Verum tota longè in oppositum res cessit: reuerso Romam Pontifice & in secessu Tusculano sub autumnum agente, rediit Ignatio sua spes, impetrandi scilicet ab eo, quod tanto ambitu petitum, Gubernator semper negauerat; & sanè tam æquum petebat, vt eius simplici expositione, illud fuerit ex Pontifice impetratum, missus continuo ex eius cubiculariis, qui Gubernatori ediceret placere Pontifici vt quæ in eius tribunali pendebat, Ignatij causæ imponeretur finis, & pro partium merito supremum pronuntiaretur. Interrogantur itaque & tres illi Iudices à quibus Ignatius fuerat Compluti, Parisiis, & Venetiis absolutus, leguntur dicta pro Ignatij sociis testimonia, Exercitorum liber examini subditur, & iudiciis omnium in rectam Ignatij doctrinam, probitatemque vitæ consentientibus pronuntiatum vt sequitur, missaque pronuntiatæ sententiæ apographa quocumque gentium æmuli suas calumnias sparserant,



## BENEDICTVS CONVERSINVS.

Electus Britouoriensis, Vicecamerarius  
almæ Urbis, eiusque districtus  
Generalis Gubernator.



*NIVERSIS & singulis, ad quos præsentis nostræ literæ peruenerint, salutem in Domino. Cum Reipublicæ Christianæ multum intersit, vt eos, qui in agro Dominico vitæ exemplo, & Doctrina plurimos adificant in salutem, & item illos qui è conuerso potius superseminare videntur Zizania, publicè notos esse, & nonnulli rumores sparsissent, & delationes ad nos factæ, de dogmatibus; & conuersatione vitæ, & spiritualibus exercitiis, quæ aliis conferunt, Venerabilium virorum Dominorum Ignatij Loiola,*

Z la,

la, & sociorum; videlicet Petri Fabri, Claudij Iaij, Paschafij Broët, Iacobi Lainez, Francisci Xavier, Alphonsi Salmeronis, Simonis Roderici, Ioannis Codurij, & Nicolai de Bobadilla Magistrorum Parisiensium, presbyterorum secularium Pampilonensis, Gebennensis, Seguntinensis, Toletanensis, Viscensis, Ebredunensis, & Palentinensis respectiue Diœcesis: Quae quidem eorum dogmata, & Exercitia à quibusdam dicebantur erronea, superstitiosa, & à Christiana Doctrina nonnihil abhorrentia, Nos pro Officij nostri debito ac speciali etiam mandato Sanctiss. D. N. Papæ, circa hæc diligenter animaduertentes, quæ visa sunt ad pleniorẽ causæ cognitionem opportuna, inquisuimus, si forte de quibus prædicti culpabantur, vera esse deprehenderemus. Quocirca examinatis primum quibusdam oblocutoribus contra ipsos, consideratis partim publicis testimoniis, partim sententiis de Hispania, Parisiis, Venetiis, Vicentia, Bononia, Ferraria, & Senis, quæ in prædictorum venerabilium virorum Dominorum Ignatij, & sociorum fauorem aduersus eorum criminatores prolata fuerunt: & ad hæc examinatis iudicialiter nonnullis testibus, & moribus, & doctrina, & dignitate omni exceptione maioribus, tandem omnem murmurationem, & oblocutionem, & rumores contra eos sparsos nulla veritate subnixos fuisse comperimus. Quamobrem nostrarum esse partium iudicantes pronunciamus, & declaramus prædictum D. Ignatium & socios ex prædictis delationibus, & susurris, non solum nullam infamia notam, siue de iure, siue de facto incurrisse, verum potius maiorem vitæ, atque doctrinæ sanæ claritatem retulisse: cum certò videremus aduersarios vana, & penitus à veritate aliena obiecisse, & contra, optimos viros, optimum pro illis exhibuisse testimonium. Hanc igitur sententiam, & pronunciationem nostram, ut publicum eis testimonium

testimonium

simonium sit, contra omnes aduersarios veritatis, & in serenationem omnium, quicumque sinistram ullam de eis suspitionem, prae-textu talium delatorum, & criminatum conceperint, faciendam duximus. Monentes insuper, & exhortantes in Domino, & rogantes uniuersos, & singulos fideles, ut dictos venerabiles viros D. Ignatium & socios, habeant, & teneant pro talibus, quos nos esse comperimus, & Catholicis, omni prorsus suspitione cessante. Ita tamen quatenus, in eodem vita, & doctrinae tenore, Deo adiuuante (quod speramus) permanferint. Datum Romae in adibus nostris die decima octaua Nouembris, millesimi quingentesimi trigesimi octauaui.

**N**Equae tamen hae Deus causae huius cursum absolui passus est; Sed in graui, & iusto accusatorum supplicio, quos eorundem conuictos scelerum quibus Ignatium infamare, tot conatibus moliti fuerant, consentanea sceleribus inuoluit poena. Delatus ab iis Ignatius fuerat quod haereticos damnatus, & adiudicatus rogo, poenam fuga vitasset; quae fuisset in eius statua executioni mandata; haec verò fors plane eadem ultore numine Mudarram comprehendit, probata enim, damnataque illius haeresi, flammis addictus est, quas cum effracto carcere fugisset, probrosè sua in statua ad Campi florae cremata persoluit. Sacrilegij eiusdem reus Petrus de Castella perpetuo carcere clausus est. Pseudo-Monachus Lutheranus, sceleratae machinae primarius artifex, ruinam illius in caput suum vergere sentiens ex fuga quam arripuerat Gebennae constitit, ibidem cucullum quem ad liberum in varias vrbes commeatum, Luthero, si posset, foedandas, assumpserat, proiecit. Inde inter ministellos nomen professus est; tum author, ut fama est, fuit, pestilentis libri, quod Summarium Scripturae inscribitur; ad extremum, tradit coauius illi scriptor, facinorosam vitam, ignis supplicio clausisse. Sed dempto illo, omnes, conscientia ducti saniore, accusationes aduersus Ignatium veraci palinodia reuocarunt, & obire in eius gratia mortem voluerunt. Petrus de Castella, errorum diu pertinax, diuque demorsa sui carceris catena, demum resipuit, atque inter manus vnius de Societate animam efflauit. Mudarra de Ignatio vsque adeo cepit alia sentire, ut eam ab illo expectauerit bonitatem qua solent viri sancti malefacta beneficiis rependere. Suis itaque in extremis malis, eius opem nec frustra implorauit. Barrera denique, in vltima vitae periodo palinodiam, & ipse cecinit, fideque iis quae effutierat abrogata, innocenti famam restituit.